



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo Libros Distributus

Antonelli, Giovanni Carlo

Velitris, 1650

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11401


Collect. decis. 75. par. 1. ubi idem dicit, si blasphemans in dicto crimine minimè assuetus sit.

S V M M A R I V M.

- 1 Conculcantes sacras imagines à Iudice ecclesiastico puniuntur.
- 2 Voluntas non solum verbis, sed etiam factis declaratur.
- 3 Qua poena puniantur conculcantes Imagines sanctorum.

C A P. XXV.

De conculcantibus, seu percutientibus sacras imagines.

- 1  Vanius multi DD. teneant, percutientes, seu inquinantes imagines sanctorum posse ab utroque Iudice puniri, ut refert Bellet. Disquis. cleric. tit. de fauor. cleric. real. §. 4. in fin. nihilominus verior sententia est, hoc crimen esse merè ecclesiasticum, ut d. Dian. par. 4. tr. 7. ref. 9. Genuens. in Prax. Archispc. 18. num. 12. ubi refert, ita fuisse seruatum in supremo Regio consilio Hispaniarum: & ratio est, quia percutiens imagines sanctorum videtur fateri, imaginum usum non esse seruandum, atque ita videtur incidere in hæresim vltimò damnatam in Concilio Tridentino sess. 25. in Decreto de inuocat. & Venerat. & Reliq. sanct. voluntas enim non solum verbis, sed etiam factis declaratur; & ideo vti suspectus de hæresi ad Iudices ecclesiasticos est remittendus iux-

ta. ut inquisitionis de Hæresi in 6. Huiusmodi autem delinquentes poena fustigationis, trirremium, carcerum, infamiae, exilij, vel poena pecuniaria, vel alia arbitrio Iudicis in foro ecclesiastico puniuntur cap. in Archiepiscopatu de Raptor. & abiurant de leui, vel de vehementi iuxta facti, & personarum qualitatè, ut d. Genuens. loco cit. num. 12. in fin. Dian. d. ref. 9. & si factum esset publicum, & enorme tradendus est curiae seculari, siue hæreticalè animum fateatur, siue non secundum Souf. in Aphor. inquis. lib. 1. cap. 42. n. 16. quem refert Dian. loco cit. & tunc poterit Iudex laicus reum ciuilibus poenis punire, ut notatur in d. cap. ut inquisitionis de hæresi in 6. & in cap. nouimus de verb. sign. de iure autem ciuili poena huius criminis est vltimum supplicium Risc. in collect. decis. 75. p. 1. & alij apud. Clar. in §. fin. q. 68. vers. imaginem Christi; potest tamen talis delinquens mitius puniri inspecta qualitate facti, & personarum, ut d. Clar. loco cit. in fin.

S V M M A R I V M.

- 1 Crimen falsi est mixti fori.
- 2 Qua sit poena falsi de iure ciuili, & que de iure canonico.
- 3 Qualiter puniantur Clerici falsificantes litteras Papae.
- 4 Qua sit poena falsificantium litteras aliorum Principum.
- 5 In alijs casibus falsarij qualiter puniantur.
- 6 Ad incurrendam poenam falsi requiritur actus completus.